

D. F.

DISSERTATIO ACADEMICA
**USUM ANIMALIUM
SYLVESTRIVM
DOMITORVM**
EXHIBENS,

QUAM

Consens. Ampliſſ. Facult. Philoſ. Aboëns.

PRÆSIDE

D: NO PETRO KALM,

S. S. Theol. DOCT. Oecon. PROFESS. Reg. & Ordin.
nec non Reg. Acad. Scient. Stockh. & Societ.
Lit. Upsal. MEMBRO,

Publico Examine modeste sistit

GABRIEL AVELLAN

V. D. M.

In AUDITORIO MAJORI Die IV Aprilis
MDCCLXXII.

Loco & Horis a. m. Conſuetis.

A B O Æ

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

PRÆFATIO.

Cum Summus rerum conditor creasset hominem in sui nominis gloriam, confortis vitæ & adjutorii consociatione; concessit etiam illi dominium omnium animalium, ex quo bonitatem ejus maximam percipere possumus. Quamdiu autem homo permansit in statu concreato, tamdiu etiam fuit omnis difficilioris curæ de vita sustentanda immunis. Post flebilem vero lapsum primorum Parentum hac prærogativa privatus fuit. Cum itaque primi nostri Parentes persuasione diaboli edendo ex arbore vetita transgressi essent mandatum divinum, statim non solum obnoxii facti sunt iræ DEI, sed etiam perdidit voluptates illas, quibus ante lapsum insigni gradu in Paradiso gaudebant, dum exinde expellebantur. Qualis vero jam esset modus hominum vivendi? certe intolerabilis, nisi haberent dominium aliquod in animalia; nonne multum nobis deficeret in victu? quomodo nos indueremus, nisi animalia suppeditarent nobis copiam lanarum, crinium, pellium, quibus cum possumus sustinere vim frigoris, quæque multis aliis modis nobis usui maximo sunt? Si præterea hujusmodi animalia non præsto essent, quæso, qua ratione acquireremus, quod ad usum vitæ pertinet? sine illis certe fuisset nostra conditio miserrima; prævicit vero Summum
Numen

Numen futuram hanc miseriam, atque ut nobis succurreret, Dominium etiam in animalia nobis concessit, quod adhuc ex parte quidem residuum est.

Neque vero dubium est, quin omnia animalia in principio, seu mox post lapsum deplorandum, fuerint fera, quæ sic etiam mansissent, nisi homines animadvertissent, ea in vita communi sibi et utilia futura, quare omnem curam cogitationemque in artem domandi & ex feritate ad mansuetudinem illa reducendi contulerunt. Et quamvis Majores nostri, suum posterorumque in commodum animalia plura, tam quadrupedia quam aves, mansueta reddiderint, attamen haud parva eorum copia adhuc in sylvis fera versatur, quæ quidem arte & multo labore domare operæ pretium esse, nemo non videt.

Jam autem propius ad propositum nostrum accedamus, ostensuri commoda & utilitates, quæ feras & aves sylvestres domando nobis redundarent, Benevolum Lectorem rogantes velit ea, quæ in hacce Dissertatiuncula prolata fuerint, meliorem in partem interpretari.

§. I.

Quamvis adeo verum sit quam quod verissimum, permulta esse animalia mansueta, quæ hominibus incredibili usui sunt, nihilo tamen minus firmum manet atque inconcussum, plurimas esse incolas regni animalis, qui domitoribus suis, mansueta abundantem præstarent utilitatem; ex his *Cervus Alces* cognominatus, omnium rem aqua judicii lance

penſitantium conſenſu, facile primarium occupat locum.

Non quidem diſſimulandum eſt, ſeptentrionalia loca, in quibus hæcce animalia propriam ſemper habuere ſedem horum beneficio magno affecta fuiſſe commodo, præſertim ubi mos in venatu illos occidendi invaluit: aſt dicam quod res eſt, nobiliora hæc ſunt animalia, quam ut ſolum ita tractari debeant, domanda nempe ſunt atque ex ferina ſua conſuetudine abducenda; quod ipſum adeo difficile factu non eſt ac nonnulli judicant; ab initio enim menſis Maji Alces ſuos progenerat vitulos, qui facili negotio hunc in finem capi poſſent, ſi modo apud omnes voluntas viribus reſponderet. Sunt autem commoda ex hiſce animalibus redundantia maxima, præcipue quæ ex carne, cute, atque curſu eorum derivantur. Caro, licet ſylveſtrium in numerum deliciarum ſemper relata ſit, illam autem ex manſvefactis & tam ſalubrem & abundantioreſ fore, nulli dubitamus aſſerere. Cutis contra vim frigoris elegans eſt munimentum, nec ita facile ac cætera veſtimentorum genera temporis injuria teritur, ut alia ejuſmodi ſilentio præteream; Quod vero ad curſum adinet, ille tanti eſt momenti, ut ob hoc ipſum alces reliquis animalibus palmam præripiat, præſertim noſtris in regionibus, ubi nix, æquorum boumque uſui haud levi eſt impedimento. Præterea cum notum ſit hanc alcen contempſiſſimis alimentis contentam eſſe, nemo non vel ex allatis perſpicere poteſt, quanta utilitate almam af-

ficeret

ficeret Patriam illi domandæ operam impendens, hinc enim spes affulgeret certa, fore plures, qui & possibilitate & utilitate rei edocti idem sequerentur institutum laude dignissimum.

§. II.

Cervus Tarandus, Rehn. Hoc, uti & præcedens animal frigidiora amare loca neminem latere potest, inprimis vero Lapponibus Samojedisque aridet, quorum terræ sylvestribus ejusmodi cervis etjam adhuc scatent. Tanta est utilitas, quam ex illis domandis percipiunt Lappones, ut nihil fere præterea desiderent; hinc enim exquisitissimas habent dapes, hinc vestes sibi contra vim frigoris conficiunt optimas, ut taceam illos ad itinera tempore hyberno facienda mirifico cum successu adhiberi. Quantus vero jam sit usus, quem dictæ gentes ex hocce capiunt animali, tantæ immo longe majori essent utilitati incolis Americæ septentrionalis, Grønlandiæque, cum illis maxima horum sit copia, si modo secundum intentionem sapientissimi Creatoris hisce debitum in modum uti scirent & vellent. Sed quid est, ut aliorum heic taxem socordiam? hæc enim est res, ob quam nosmet ipsi in sinu gratulari nobis possemus, si illas in usum nostrum occasione haud destituti, applicare vellemus, nec per omnia avitis majorum institutis more vulgi inharere.

§. III.

Ursus. Quamvis hocce animal ferocissimis adnumerari queat, legimus tamen apud auctores quosdam, quod etjam quotidiana experientia satis nobis

adquæ

mon.

monstrat, hunc industria & studio, maximo comodo domari posse. Utilitas enim hujus animalis variis modis sese exserit. Nam cum traha vehimus, potest hic munere & vice servi ea occasione fungi, id quod tanta agit solertia, ut Dominus ejus tute in traha sedere possit, & ne quidem semel prosterni, quod etiam ipse expertus sum, hinc jam patet, quod etiam alio modo possit hominibus servire. Nam cum jam propter ætatem inutilis evadit, mactari potest & tum quoque maxima ejus utilitas hauritur.

Cujus enim pellis hyeme contra vim frigoris majorem utilitatem præbet, qua uno atque alio modo uti possumus? quanta copia carnis ex hocce animali accipitur, quæ in re familiari est magno usui; hæc quidem habet saporem sylvestrem, per longiorem tamen coctionem in fœno nihil hujus ingrati saporis remanet. Præterea abundat adipe, quæ tam in re œconomica, quam Medica maxima sese commendat utilitate, ut nihil jam dicam de commodis, quæ ex reliquis intestinis ejus obtineri possunt. Num autem ita instrui posset, ut vice canis fidelis in pecudibus pascentibus contra vim aliarum bestiarum custodiendis fungeretur, non facile dixerim; fortassis tamen tanta, si non majora, obstacula invenerunt, qui in Elephantis, equis, ac bubus domandis industriam suam collocarunt primi mortalium. Fortassis mitiorem progeniem & dociliorum daret ursus, lupusque, si mansueti ad sobolem procreandam stimulari possent.

Lupus

Lupus, qui quidem est animal adeo vorax, aspectumque hominis fugiens, ut eam ob causam videatur nobis esse ejusmodi indolis, quæ nulla ratione domari potest; attamen quidam experti sunt, parvulos & cæcos captos posse etjam mansuetos reddi. Commemoratum enim est, aliquem in Vermlandia habuisse lupum, arte atque industria adeo domitum, ut greges in sylvis pascentes a lupis feris atque aliis rapacibus animalibus custodiverit.

Hujus animalis præstantia notior est, quam ut mihi ea de re opus sit verba facere. Varia alia Quadrupedia posse humana industria mansvescere, testantur Historiæ. Sic legimus Castorem Fibrum & Viveram Lutram interdum ita mansveta reddita, ut quotidie fere dominis suis magnam copiam piscium adtulerint: Mustelam Ermineam mansvetafactam domum a muribus fideliter purgasse, notum est; ut plura exempla silentio præteream.

§. IV.

Aves esse a DEO Ter Optimo maximo hominis singularem in usum conditas satis superque patet ex commodis innumeris, quæ earum beneficio habemus, quæque omnia si vel leviter perstringerem, diem me defecturum credo; ut tamen instituti rationi aliquo modo satis fiat, juvabit paucis sequentia monuisse. *Anas Cygnus Svecice Swan.* Aves hæc propter magnitudinem, pulchritudinem probamque suam naturam & indolem, nec non utilitatem maximam, quam earum ope acquirimus, haud levem certe in societate civili attentionem mereri, certum est. Quis sine animi oblectatione aspicit illum natantem cum plumis suis candidissimis in flumine sylva viridi circumdata? quam suave est auditu, ubi montes & valles cantui ejus resonant! & præterea plumis gaudet fere optimis, ex quibus comparantur excellentissima strata. Pel-
lis

lis harum avium est certe pretiosa & haud minima laude digna. Virgines illustres hanc magni aestimant, nam ex hac sibi collaria & ejusmodi similia conficiunt. Nec adeps ejus est minoris pretii, quod Medici, praecipue vero Chirurgi, quorum proprium est vulnera curare, testantur. Huic enim fini insignem suum commodum praebet. Aves haec non sunt difficiles domitu, nam cum adhuc in tenera aetate constitutae capiuntur, possunt exiguo temporis spatio adeo mansvescere, ut non amplius pristinam feram suam naturam induant, neque aufugiant, quamvis per tres vel quatuor hebdomadas domum non petant, modo illis data sit ansa sese in flumine quodam vivo oblectandi; ob vim autem frigoris hyeme interdum alimenti gratia domum redeunt.

§. V.

Anas anser, Svetice *Willgås* nominatus, est quidem eorum ex numero, qui hyeme ingruente ad oras externas migrant, interim tamen tempore vernali reduces difficulter variis modis capiuntur: Insignis est utilitas ex carne & plumis eorum redundans, longe autem insignior illa ipsa evadit cum illis mansvescatis anserum domesticorum uti licet consuetudine; hoc enim modo longe fecundiores anseres nostros reddi jam dudum evictum est, immo contendunt nonnulli, pullos, eorum beneficio solito firmiores evadere, Atque hinc jam patet illos, qui anseribus sustentandis operam impendunt, non posse sine noxa maxime notabili, a gregebus hisce anseribus carere.

Varias aves indigenas, sub Falconis, strigis & Lani generis militantes, posse industria humana mansvescieri, ac eodem modo, ac Falcones gentiles ad capturam ferarum & avium adhiberi, nulli dubitamus. Chineses cum insigni fructu ad pisces capiendos uti speciequidam Pelecani notissimum est, vid. Dn Haldum & Praclarissimi OSBECKII it. Chin. p. 262. Cur a Pelecanis, colymbis, & laris nostris eadem utilitas aliquando expectari non posset? addamus adhuc monitum: in animalibus feris domandis calculus semper ponendus, num labori & sumptibus respondeat utilitas. Atque sic manum de tabula,

